

corpus Christi ex vi sacramenti, anima autem ex reali concomitantia. » — Haec ille.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus sit Deus. Amen.

QUÆSTIO III.

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN EUCHARISTIA MOBILITER,
HOC EST, UTRUM IBI MOVEANTUR LOCALITER

PURSUS circa eamdem decimam distinctionem queritur: Utrum corpus Christi sit in Eucharistia mobiliter, hoc est, utrum ibi moveatur localiter.

Et arguitur quod non. Quia impossibile est idem esse motum et quietum; quia sic contradictoria verificarentur de eodem. Sed corpus Christi in celo quietum residet. Non ergo moveatur in hoc sacramento. » — Haec ille.

In oppositum arguitur. Quia dicit Philosophus, 2. *Topicorum* (cap. 3, loc. 24), quod, *motis nobis, moventur omnia quæ in nobis sunt*; quod quidem verum est etiam de spirituali substantia anima. Sed Christus est in hoc sacramento. Ergo moveatur ad motum ipsius.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS 1.

POÑUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod Christus, secundum esse quod habet in Eucharistia, non moveatur per se.

Secunda conclusio est quod potest moveri per accidens localiter, ad motum Eucharistie.

Has duas ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 6, ubi sic dicit: « Cum aliquid est unum subiecto, et multiplex secundum esse, nihil prohibet ipsum secundum aliquid moveri, et secundum aliud immobile permanere: sicut corpori aliud est esse album, et aliud esse magnum; unde potest moveri secundum albedinem, et permanere secundum magnitudinem immobile. Christo autem non est idem esse secundum se, et esse sub sacramento; quia per hoc quod dicimus ipsum esse sub sacra-

mento, significatur quædam habitudo ejus ad hoc sacramentum. Secundum ergo hoc esse non moveatur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens: quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco; quod autem non est in loco; non moveatur per se in loco, sed solum per motum ejus in quo est. Similiter autem neque per se moveatur secundum esse quod habet in sacramento, quacumque alia mutatione, puta quantum ad hoc quod desinat esse sub sacramento. Quia illud quod habet esse indeficiens, non potest esse deficiendi principium, sed, alio deficiente, hoc esse desinit in eo; sicut Deus, cuius esse est indeficiens et immortale, desinit esse in aliqua creatura corporali, per hoc quod creatura corporalis desinit esse. Et hoc modo, cum Christus habeat esse indeficiens et incorruptibile (a), non desinit esse sub sacramento, neque per hoc quod ipsum desinat esse, neque etiam per motum localem sui; sed per hoc quod species hujus sacramenti desinunt esse. Unde patet quod Christus, per se loquendo, immobiliter est in hoc sacramento. » — Haec ille.

Item, in hac distinctione, q. 4, art. 3, in solutione quartae questiuncule, sic dicit: « Moveri in loco, includit esse in loco; unde ad hoc quod aliquid per se moveatur in loco, oportet quod per se sit in loco, et quod per se moveatur, non ad motum alterius. Sed per accidens aliquid moveatur in loco dupliciter: uno modo, quia per accidens est in loco; alio modo, quia per se est in loco, sed per accidens moveatur in loco; sicut patet in his quæ vehuntur, quia locis quem mutant, est per se eorum proprius locus, vel communis. Corpus autem Christi in loco quem species mutant, non est per se, neque sicut in loco proprio, neque sicut in loco communi, sicut ex dictis patere potest. Et ideo per se in illo moveri non potest; neque per accidens, sicut corpora per accidens moveantur; sed hoc modo quo aliquid et per accidens est in loco et per accidens moveatur. Nec differt, ut quidam dicunt, dicere utrum species moveantur in eodem loco, aut transferantur de loco ad locum; quia quod in eodem loco manens secundum substantiam moveatur, mutat locum, non solum secundum partes, sed secundum totum, ut in 6. *Physicorum* (t. c. 74) probatur. » — Haec ille.

Ex quibus possunt formari rationes pro ultraquo conclusione. — Pro prima, talis: Omne quod per se moveatur localiter in aliquo, per se est in illo ut in loco. Sed Christus non est in Eucharistia ut in loco; nec est per se in loco Eucharistiae, sed solum per accidens. Ergo non per se moveatur localiter secundum esse quod habet in Eucharistia. — Pro secunda conclusione arguitur sic: Quod continetur in aliquo localiter moto secundum se et quolibet sui, et non separatur ab eo quādū moveatur, tale

(a) *incorruptibile*. — *incorpore* Pr.

movetur, saltem per accidens, ad motum alterius. Sic est de corpore Christi respectu Eucharistiae. Igitur, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Argumentum Scoti. — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem, contra secundam arguit Scotus (dist. 10, q. 6, concl. 4), probando quod nulla virtus creata potest movere corpus Christi ut in sacramento.

Primo. Quia quod non habet virtutem motivam super aliquid quando illud est per se, non movet illud per accidens quando est cum alio cum quo non facit per se unum, sicut actus cum potentia. Sed virtus creata omnino non potest super corpus Christi in se, sub isto modo existendi, ad movendum ipsum. Ergo quando est cum alio, respectu ejus non est sicut potentia, nec sicut actus, sequitur quod eadem virtus non poterit illud movere etiam per accidens. Sic autem est cum hostia. Quod patet: quia species non est forma ejus, nec ipsum est forma speciei. Si major ista negatur, quia grave existens in navi movetur a movente navem, licet grave non sit forma navis, nec econtra; — instantia non est ad propositum; quia virtus motiva illius posset super grave per se, si grave per se esset. Ideo autem addidi in majore, *quorum neutrum est actus alterius*; quia, etsi aliquid quod est actus alicujus, non posset per se moveri ab illo, tamen potest per accidens moveri ab eodem potente mouere totum ejus illud est actus. — Sed, ut omnis instantia tollatur, accipiatur ista major: Quando aliqua conjunguntur praeceps per actum voluntatis contingenter se habentis ad illam conjunctionem, si unum illorum sit mobile omnino improportionatum alicui moventi, et reliquum proportionatum, ipsum non eadem motione potest movere utrumque coniunctorum. Patet. Quia, si movet unum quod est sibi proportionatum, non propter hoc per accidens movet reliquum: quia reliquum non est praesens isti moto (α), nec ut actus potentiae, nec econtra; nec simpliciter ex aliqua necessitate ita naturali, sicut grave est praesens illi cui innititur, et propter hoc simul movetur cum illo; sed tantummodo est sibi praesens voluntate aliqua (β) contingenter se habente ad illam conjunctionem, que per conse-

quens potest non velle istam conjunctionem, stante tamen motione alterius illorum. Exemplum istius: Si angelus voluntarie faceret se presentem lapidi, si moveo lapidem, non propter hoc moveo angelum; quia nec est mobilis per se a virtute mea; nec per accidens, in proposito, quia nec est forma, nec pars alicujus mobilis per se a me. Si ergo angelus esset praesens lapidi moto a me, et simul moveretur, hoc non esset per actum meum, sed per suam propriam actionem, qua facheret se presentem illi. Eodem modo, in proposito: cum corpus Christi sit praesens specie tantummodo per actum voluntatis divinæ, si facio speciem habere novum ubi, per illam motionem non erit ibi corpus; quia nullo modo subest praesentialitas illius corporis, neque nova, neque antiqua, voluntati meæ; nec etiam per accidens, quia non est forma nec pars illius quod subest meæ motioni. — Haec Scotus.

II. Argumenta Durandi. — Contra eamdem conclusionem arguit Durandus (dist. 10, q. 3), probando quod corpus Christi non movetur ad motum hostie.

Primo. Quia quando aliqua duo ita se habent, quod non sunt unum secundum subjectum, nec se habent ut continens et contentum, nec habent alligationem aut contactum, nullo modo uno moto movetur alterum. Sed corpus Christi et species non sunt unum subjecto, nec unum continetur ab alio, nec habent alligationem, nec contactum, quia non se tangunt. Ergo ad motum specierum, nullo modo, nec per se, nec per accidens, sequitur motus corporis Christi. Major patet, inducendo in omnes modos secundum quos uno moto movetur aliud. Minor patet ex dictis eorum.

Secundo. Quia unum et idem non potest simul moveri oppositis motibus, maxime quando uterque motus convenit ei eodem modo. Sed illud continget, si corpus Christi moveretur motu hostie. Ergo, etc. Minor probatur: quia, uno elevante hostiam sursum, alius deponit aliam deorsum; si ergo corpus Christi moveretur motu hostie, vel ad motum hostie, simul moveretur sursum et deorsum.

Tertio. Quia, si corpus Christi moveretur motu hostie, eadem ratione, frangeretur fracta hostia. Sed illud est falsum. Ergo et aliud.

Quarto. Quia corpus Christi existens in celo localiter, sit (α) de novo in hoc sacramento, non motum localiter, nec (β) per se, nec per accidens. Ergo, fortiori ratione, existens in hoc sacramento, nec deserens locum suum in celo, non movetur ratione motus specierum localiter, nec per se, nec per accidens. Igitur.

(α) *isti moto.* — *isto modo* Pr.
(β) *aliqua.* — *alia* Pr.

(α) *fit.* — *si sit* Pr.
(β) *nec.* — *Om.* Pr.

Quinto. Quia, si sic, hoc maxime videretur propter hanc rationem : quia scilicet quod incipit esse ubi prius non erat, et desinit esse ubi prius erat, videtur localiter motum; sed corpus Christi, per motum hostiae, desinit esse in altari, ubi prius erat, et incipit esse in ore hominis, ubi prius non erat; ergo, etc. — Sed ista ratio non valet, propter multa. Primo, quia major est falsa de modo quo aliquid est in hoc sacramento, ubi est solum propter ordinem ad species hujus sacramenti. Sicut enim corpus Christi non motum incipit esse in hoc sacramento, et, corruptis speciebus, desinit esse ibidem absque motu suo; sic, translatis speciebus, desinit esse ubi fuerunt species, et (z) incipit esse ubi feruntur species, per solam translationem specierum, et non per motum suum; quia non est præsens loco, nisi quia est præsens speciebus existentibus in loco; eadem autem est ratio præsentiae Christi ad species, sive sint morte, sive quiescentes. — Item, quia, majore concessa, potest dici ad minorem, quod corpus Christi in hoc sacramento non desinit esse ubi prius erat, nec incipit esse ubi prius non erat, per motum hostiae. Quia corpus Christi solum præsens est hostiae ex vi sacramenti; sed ad locum hostiae nullam præsentiam habet, ratione qua est in hoc sacramento; quia per aliam rationem comparantur species ad locum, et corpus Christi ad species ut (6) ad sacramentum. Et ideo, manentibus speciebus, quantumcumque transferantur de loco ad locum, corpus Christi præsens eis, semper est ubi erat: quia est in celo localiter, et in speciebus sacramentaliter; ad nihil aliud autem habet realem præsentiam. — Et potest poni exemplum satis conveniens. Quia angelus est realiter præsens corpori quod movet; ista tamen præsentia in angelo non est localis, sic quod angelus sit illi corpori propinquus, et ab alio distet; propter quod, moto corpore de loco ad locum, angelus non movetur in se, nec per se, nec per accidens, nec efficitur in aliquo loco de novo. Sic, cum præsentia corporis Christi in sacramento non sit localis, quantumcumque species moveantur localiter, ipsum tamen non movetur, nec per se, nec per accidens, nec acquirit novum locum. — Hæc Durandus.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS.III.

PONUNTUR SOLUTIONES

AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumentum Scoti. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus

(z) a verbo *desinit* usque ad *et*, om. Pr.

(6) *ad species ut*. — Om. Pr.

supradictis. Et quidem, ad objecta Scoti contra secundam conclusionem, dicitur primo, quod faciliter posset dici, quod ex dictis in prima conclusione non potest expresse haberi quod corpus Christi, secundum esse quod habet in Eucharistia, possit moveri a sacerdote, vel ab alia virtute creata; sed solum quod, secundum tale esse, moveri potest, et movetur, a quacumque virtute hoc fiat, creata vel increata.

Dicitur secundo, quod, concesso quod possit moveri a virtute creata, sicut puto sensisse sanctum Thomam, tamen argumenta Scoti non concludunt sufficienter oppositum. Unde, ad primam formam ibidem factam, dicitur, negando majorem. Sufficit enim quod tale mobile per accidens ad motum alterius, faciat aliqualiter unum cum illo quod movetur per se, etsi non sicut actus cum potentia, vel potentia cum actu, tamen sicut succedens subjecto aut potentie actus, æque inseparabiliter unitum actui remanenti, sicut subjectum aut potentia precedens tali actui uniebatur, sicut prima unio potentiae cum actu esset per inherentiam et informationem, non autem unio vel conjunctio sequens. Sie autem est in proposito nostro: quia, licet corpus Christi non faciat unum per se cum speciebus Eucharistiae, sicut potentia vel subjectum cum actu, nec actuetur aut informetur predictis speciebus, tamen succedit substantiae panis, que unicatur predictis speciebus sicut subjectum et potentia suo actui, et actuabatur et informabatur eisdem (z); et tanta est inseparabilitas specierum panis a corpore Christi, quanta fuit earundem a substantia panis, sic quod ipsis speciebus manentibus, nulla virtute creata possunt separari a corpore Christi, potissime localiter; licet corpus Christi possit esse sine eis postquam corruptæ sunt, sicut substantia panis poterat esse sine illis, si naturali virtute spoliaretur accidentibus supradictis, sicut et poterat. Et de tali inseparabilitate loquitur probatio prime conclusionis in parte. Et, preter hoc, sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 6, in solutione tertii, sic dicit: « Corpus Christi remanet in hoc sacramento non solum in crastinum, sed etiam in futurum, quousque species sacramentales manent; quibus cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis; non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species; per quem modum Deus desinit esse Dominus creature desinentis. » — Hæc ille.

Dicitur tertio, quod instantia adducta de gravi, insufficienter solvit. Potest enim dari casus, in quo aliquid movet aliquam substantiam immaterialem per accidens, movendo aliquid per se, et tamen illa substantia immaterialis nullo modo est unita tali moto per se: sicut cum nauta, movendo navem per se, movet per accidens animas hominum exis-

(z) *eisdem*. — *eidem* Pr.

stentium in navi per accidens; et tamen anima hominis non facit per se unum cum navi, sicut actus cum potentia, sed solum cum proprio corpore. Item, falsum dicit arguens, in hoc quod quelibet virtus movens aliquod grave per accidens ad motum navis, possit illud grave per se movere, si sit separatum a navi. Hujus enim falsitas manifeste patet: nam nauta, movendo navem, movet per accidens centum equos vel homines, et immensa pondera ferri; quae tamen non potest per se movere extra navem.

Dicitur quarto, pro secunda forma ibidem adducta, quod, concessa maiore ibidem posita, minor neganda est; quia corpus Christi, secundum esse quod habet in Eucharistia, non est mobile omnino improportionatum potentiae motiva creature. Licit enim non sit proportionatum quoad moveri per se a creatura, est tamen proportionatum quoad moveri per accidens ad motum hostie: quia, licet non se habeat ad hostiam modis ibidem recitatis, tamen sufficienter unitur Eucharistiae modo predicto, ut puta per modum succedentis subjecto accidentium, ordinem habentis ad illa, cum aequali inseparabilitate quantam habuit praecedens subjectum ad accidentia predicta, modo superius exposito. Et ideo similitudo de presentia angeli ad lapidem, et de corpore Christi ad hostiam, non valet in proposito.

Dicitur quinto, quod non est inconveniens concedere in tali motione per accidens corporis Christi ad motum hostie, esse aliquam participationem miraculi, nec mere fieri virtute creata principaliter: non quod talis motio sit novum miraculum; sed dependet ex principali miraculo conversionis substantiae panis in corpus Christi, quo fit ut corpus Christi, sine informatione et inhaesione, uniatur inseparabili concomitantia speciebus panis conversi remanentibus, et sic redditur mobile proportionatum virtuti creatae motione per accidens, secundum esse quod habet sub speciebus, ut dictum est; ut sic virtus creata, per se moveat hostiam ut agens principale, corpus Christi vero moveat ut movens instrumentale respectu divinae virtutis principaliter moventis illud. Tamen non oportet hic refugere ad miraculum. Ideo standum est in prima solutione, quod ista motio fit a virtute creata naturali, sine infusione novae virtutis supernaturalis ipsi moventi hostiam; licet non sit sine miraculo, quod corpus Christi sit mobile per accidens, proportionatum virtuti creatae moventi per se hostiam.

Et haec sufficient ad objecta Scotti.

II. Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi contra eamdem conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 10, q. 3), dicens quod « major illius argumenti in naturalibus quidem non habet instantiam; sed, simpliciter loquendo,

falsa est in proposito. Quia, si aliqua duo non (2) se habent aliquo illorum modorum quos ponit, si tamen se habeant per concomitantiam inseparabilem, sic scilicet quod non solum ubicumque est unum, est aliud, sed quod ubicumque unum esse incipit localiter, et aliud incipit esse ibi realiter praesens, cum prius realiter ibi esset absens, et ubicumque unum desinit esse localiter, aliud incipit ibi esse realiter absens, cum prius realiter esset ibi praesens, tunc verum est quod ad motum unius per se, movetur aliud per accidens. Moveri enim de loco ad locum, est realiter deserere primum locum, et realiter petere secundum locum; quamvis alterum non sufficiat; quia corpus quod de novo creatur, habet novum locum, nec tamen est localiter motum; similiter, quod de novo generatur, et, e converso, quod de novo corruptitur, perdit locum quem habebat, nec tamen est localiter motum. Sed corpus Christi, dato quod nullo modorum quos ponit arguens, se haberet ad species; tamen se habet ad eas secundum hujusmodi concomitantiam inseparabilem. Ergo ipsum movetur per accidens, ad motum illarum per se. Unde, dato quod corpus Christi non posset dici motum localiter sacramentaliter quando de novo consecratur, quia, licet habeat locum quem prius non habebat, non tamen deserit primum locum; et similiter, non potest dici motum quando species corruptuntur, quia, licet desinat esse hic, non tamen per hoc desinere incipit alibi esse, cum (6) utrumque requiratur; tamen quia per motum localem specierum desinit esse in primo loco specierum, et incipit esse in secundo loco earum, videtur esse motum secundum illud esse locale quod habet in sacramento». — Haec Petrus, et bene, et conformiter ad predicta.

Ad secundum respondet idem Petrus (ibid.), dicens quod « idem secundum idem esse numerale, non potest moveri diversis motibus; sed secundum diversa, sic. Sieut enim secundum unam manum potest homo moveri sursum, et secundum aliam deorsum; sic, si una manus posset esse dextra et sinistra, secundum esse dextrum posset levari, et secundum sinistrum deponi. Cum enim (7) motus localis fundetur immediate non super illud quod est in loco, sed super ipsum esse in loco, si unum et idem habet duo esse in loco, poterit habere duos motus. Ergo secundum unam hostiam non divisam, in qua Christus habet unum esse sacramentale numero, non potest ipse moveri motibus oppositis; sed secundum duas hostias, in quibus habet duplex esse sacramentale, sic. — Quod autem in diversis hostiis corpus Christi habeat duplex esse sacramentale secundum numerum, licet unum secundum

(2) non. — Om. Pr.

(6) cum. — si. Pr.

(7) enim. — ejus. Pr.

speciem, probatur. Quia quæ sunt unum secundum esse numerale, simul generantur et corrumpuntur; sed corpus Christi seorsum incipit esse et desinit in diversis locis hostiarum, secundum quod diversis temporibus consecrantur et corrumpuntur; ergo sunt ibi diversa esse; et per consequens, contrarii motus possunt inesse. Similiter : motus et quies non possunt convenire eidem secundum eundem modum essendi, et secundum idem esse in; sed, supposito quod aliquid habeat esse in pluribus locis, nihil prohibet ipsum moveri secundum unum locum, et manere secundum alium. Et sic : supposito quod Christus non sit localiter nisi in celo, impossibile est quod per se moveatur localiter et quiescat; et similiter, supposito quod non sit sacramentaliter nisi in uno altari, impossibile est quod secundum esse sacramentale moveatur et quiescat; sed, si est in celo localiter, et in altari sacramentaliter, poterit discurrere per celum, et quiescere in altari, et poterit quiescere in celo, et portari per vicum ad infirmum; et, si est in multis altaribus sacramentaliter, poterit in uno quiescere, et in alio moveri : sicut, si secundum pedem ego sum in aqua, et secundum manum in aere, secundum unum possum moveri, et secundum aliud quiescere; et idem erit de sola manu, supposito quod ipsa posset esse simul in diversis locis. » — Haec Petrus, et bene.

Ad tertium respondet idem Petrus (*ibid.*), quod « non sequitur : *moveritur, mota hostia; ergo frangitur, fracta hostia.* Quia ad motum localem sufficit quod aliquid deserat locum quem prius habebat, et accipiat novum locum quem prius non habebat. Tunc enim, sicut dicebatur esse in loco prius, et nunc (α) in loco, dicitur motum de loco ad locum : quia mutari non est aliud quam aliter se habere nunc et prius, secundum unumquodque genus mutationis; unde aliter se habere ad locum quam prius, est mutari secundum locum. Unde, cum corpus Christi dicatur esse in illo loco ubi est hostia, realiter et praesentialiter, etsi non localiter; sicut illi qui dicunt *angénum* esse in loco diffinitive, dicunt eum (β) moveri localiter, quia incipit esse realiter absens illi cui erat realiter praesens, et e converso, quamvis non sit alieni localiter, sed diffinitive; sic, ex quo ad motum hostie corpus Christi incipit esse et desinit esse in loco, et reali praesentia et absentia (γ), sic ei convenient moveri de loco ad locum ad motum hostie, sicut esse in loco ad praesentiam hostie. Sed ad fractionem non sufficit nec requiritur quod ipsum quod erat in uno loco, fiat in pluribus, cum etiam in vacuo fractio esse possit; sed quod illud quod erat unum continuum et inte-

grum, per violentiam in duas partes dividatur, quarum quelibet sit minor toto. Et quia hoc realiter competit quantitati hostie, ideo quantitas illa, que, perdita sua integritate, in minutus partes dividitur, vere frangitur. Sed sic non est de corpore Christi, et ejus quantitate : quia manet integrum et indivisum, cum sit impassibile; et est totum integrum in qualibet parte hostie fractæ, ita quod non solum est integer in se, immo integro modo est in parte fracta, sicut erat in integra; ideo, nec secundum quod est in se, nec secundum quod est in hostia, frangitur. Sed, si, ad fractionem hostie, Christus, in se manens integer, non esset secundum se totum in qualibet parte, sed secundum partem tantum, tunc haberet colorem quod, sicut ad motum hostie movetur non secundum esse locale quod habet in celo, sed secundum esse sacramentale quod habet in sacramento, sic secundum fractionem hostie frangeretur et ipse, non secundum esse naturale quod habet in se, sed secundum esse sacramentale quod habet in alio. Et forte talēm fractionem Berengarius fieri dixit in corpore Christi, secundum esse sacramentale, non naturale ». — Haec Petrus, et bene. — Verumtamen sanctus Thomas, 3 p., q. 77, art. 7, in solutione tertii, sic dicit : « Illud quod manducatur in propria specie, ipsum frangitur et masticatur in sua specie. Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali. Et ideo ipsum corpus Christi non frangitur, nisi secundum speciem sacramentalem. Et hoc modo intelligenda est confessio Berengarii, ut fractio et contritio dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua est corpus Christi. » — Haec ille.

Ad quartum, negatur consequentia. Quia ad rationem motus et mutationis propriæ dictorum requiritur deperditio termini *a quo* et acquisitio termini *ad quem*, et istorum terminorum successio, non simultas, immo quedam incompossibilitas. Non sic autem est de loco Christi in celo, qui sibi competit ratione propriarum dimensionum, et de loco qui sibi competit in altari ratione dimensionum panis; que loca simul sibi convenient, nec acquisitionis unius est perditio alterius. Secus est de diversis locis sibi convenientibus ratione translationis hostie de loco ad locum, ut patet per predicta.

Verumtamen Petrus de Palude (*dist. 40, q. 3*) negat antecedens hujus argumenti, et concedit quod corpus Christi existens in celo, non incipit esse in sacramento, nisi intervenient aliquis motus in Christo. Dicit enim sic : « Illud quod incipit esse realiter ubi prius non erat, per aliquid in se realiter factum, id est, ad se mutatum, vel in se mutatum aut conversum, illud est motum realiter, secundum realitatem essendi qua ibi est. Sic est in proposito. Ergo, etc. — Item : sicut Christus, non obstante sua impassibilitate, potest esse mutabilis de loco ad locum, et incipit esse localiter ubi prius non erat;

(α) *nunc.* — *tunc* Pr.

(β) *eum.* — *cum* Pr.

(γ) *ergo.* — *Ad.* Pr.

sic non prajudicat sue impassibilitati, si incipit esse realiter praesens ubi prius non erat; quia non (α) plus sit in eo per istam novam presentiam, quam fieret per novam circumscriptiōnem. Sicut ergo diceretur motum localiter, si inciperet esse circumscriptive ubi prius non erat; sic potest dici motus sacramentaliter, quia est sacramentaliter ubi non erat. — Item, videtur quod possit dici realiter mutatus. Quia est subjectum realiter mutationis; et habet realem modum essendi, quem prius non habebat. Ita enim realiter est in sacramento, sicut in cœlo. Unde, sicut esse alicubi est in eo modus realis essendi, sic esse in sacramento. Et sicut si incipit esse localiter ubi prius non erat, est in eo facta mutatio realis, quia se habet nunc aliter quam prius (quod tamen non prajudicat sue impassibilitati, quia per hoc nihil de absolutis mutatur in eo); sic in proposito. — Nec valet, si dicatur: Deus incipit esse de novo in mundo realiter, cum prius non esset, sine sui mutatione. Quia Deus non incipit esse in re per mutationem rei in se, sicut corpus Christi. Unde, cum realiter res in corpus Christi convertatur, et, per hoc, corpus Christi hic esse incipit, non videtur absurdum dicere corpus Christi mutatum esse, cum hoc sit minus quam si localiter mutaretur. — Item, corruptis speciebus, desinit ibi esse. Et cum omnis corruptio sit quedam mutatio, cum esse quod habebat ibi, esset quoddam esse reale, et non tantum rationis relatio, sicut est signatum in signo; sicut quando aliquid desinit esse in loco, ipsum ubi corrumpitur, et est realis mutatio; sic ubi sacramentale generatur quando hostia consecratur, et corrumpitur quando hostia corrumpitur. Et tamen, cum corpus Christi secundum substantiam sit subjectum istius ubi sacramentalis, sicut ejus quantitas est subjectum ubi naturalis, videtur hic sicut ibi esse quedam mutatio, cuius subjectum est substantia; et, per consequens, est mutata, se habens aliter nunc quam prius, secundum tale ubi extrinsecum. — Si dicatur quod ad motum localem requiritur desertio primi loci, et adeptio secundi; unde quod movetur a loco ad vacuum, vel a vacuo ad locum, non moveretur localiter, licet possit dici motum a loco, vel ad locum; et, per consequens, facta conversione, non potest dici mutatus, quia non desinit esse in cœlo; et, corruptis speciebus, non est mutatus, quia non incipit per hoc esse alibi vel alicubi; sicut creatum in loco, vel annihilatum in loco, non est motum localiter, licet incipiat vel desinat esse in loco realiter; — dicendum quod saltem quando hostia consecrata de loco ad locum transfertur, corpus Christi concomitans potest dici moveri sacramentaliter; quia deserit primum locum sacramentalem, et habet novum locum sacramentalem. Immo etiam per

novam conversionem, et novam corruptionem specierum, potest dici esse motum sacramentaliter: quia non solum dicitur mutari illud quod transit de uno extrinseco in aliud, sed etiam illud quod transit de non esse ad esse, et de esse ad non esse; sicut aer, cum de tenebroso sit lucidus, et econtra; unde corpus motum de loco in vacuum, vel econtra, potest dici mutatum, accipiendo vel perdendo novum ubi. Et similiter in proposito: corpus Christi, novum esse sacramentale acquirendo et nullum perdendo, et similiter esse sacramentale perdendo et nullum acquirendo, mutatur realiter; cum illud esse sit res vera, vel realis modus essendi. Nec est simile de illo quod creatur vel annihilatur in loco. Quia quod creatur, non praexsistit; et quod annhilatur, non remanet; oportet autem ad veram mutationem idem numero substerni utrius termino. Hic autem corpus Christi idem numero praexsistit conversioni, et remanet post corruptionem. Quod ergo dicunt Doctores, quod non mutatur, verum est per se; sed per accidens mutatur (γ): sicut dicitur, 5. *Physicorum* (t. c. 10), quod relatio nova realis advenit, nulla mutatione facta in ipso, verum est per se; sed per accidens, sic (δ), quia habet modum essendi realem, quem prius non habebat. Sed quia communis opinio est in contrarium, quod scilicet sine sui mutatione corpus Christi incipit esse et desinit esse in altari, ideo contrarium inquisitive, sine assertione dictum, accipiatur. Sed quin (γ) moveatur per accidens, ad motum specierum, non videtur. » — Haec Petrus, et satis probabiliter quoad multa: licet assumat aliqua dubia, potissime quod corpus Christi habet realem habitudinem, relationem aut comparationem, ad locum Eucharistiae vel specierum panis; item, quod incipit esse sub speciebus panis per realem motum, et desinit esse sub eis similiter; item, quod aequa realiter sit in loco Eucharistiae sicut in loco cœli, sic quod aequa realem respectum habeat ad altare vel calicem in sacramento sicut ad proprium locum in cœlo; et quedam alia, que videntur dissona a doctrina sancti Thomae, ut in sequentibus forte dicetur, etc.

Ad quintum respondet idem Petrus (*ibid.*), in sententia, dicens: « Si dicatur, sicut aliqui dicunt, quod, translatis speciebus, incipit esse et desinit sine sui motu, — verum est, secundum esse locale et naturale, sed non sine sui motu, secundum esse quod habet (δ) in sacramento; quia ex quo ipsum esse in sacramento mutatur, per consequens, corpus Christi, subjectum illius esse, mutatur subjective, sicut terminative. Et quando dicunt quod

(α) mutatur. — Om. Pr.

(β) sic. — Om. Pr.

(γ) quin. — quando Pr.

(δ) secundum esse quod habet. — quem habet secundum esse Pr.

non est praesens loco, nisi quia est praesens speciebus existentibus in loco, — verum est. Et quando subjungunt quod eamdem rationem praesentiae habet ad species motas et quiescentes, — verum est. Sed propter hoc non sequitur quin ad motum earum moveatur, et ad quietem earum quiescat, secundum esse quod habet in eis: sicut color est in quanto quiescente et moto eodem modo, scilicet per inherientiam; que inherientia non variatur per motum subjecti, nec per quietem; tamen, quia ad motum subjecti accidit ipsum colorem distare et appropinquare, esse praesens et absens, dicitur moveri per accidens; ita est in proposito. — Nec est simile quod adducunt de Deo, qui incipit esse et desinit alicubi per rerum generationem et corruptionem, sine sua mutatione. Quia Deus non est diffinitive in loco, sic hic quod non ibi; immo in omni quod est, Deus est. Sed corpus Christi, sicut est localiter ubi est sua quantitas, ita est diffinitive sacramentaliter ubi est quantitas substantiae in illud conversae. Sed quia in multis locis potest esse simul ista conversione, ita non est diffinitive in uno loco conversionis, sic quod non in alio; sed locum substantiae conversionis sibi diffinit, quod est ubi erat quod in eum conversum est, et non alibi; ratione cuius diffinitio eius moveri potest. — Sed (2) quidam negant minorem, dicentes quod corpus Christi est solum praesens hostie ex vi sacramenti, sed ad locum hostie nullam praesentiam habet ratione qua est in hoc sacramento; quia per aliari rationem comparantur species ad locum, et corpus Christi ad species ut ad sacramentum; et ideo, manentibus speciebus, quavis transferatur de loco ad locum, corpus Christi, quod est praesens eis, semper est ubi erat. Sed propter hoc non est neganda minor. Et ideo probatur sic: Quia quando aliquis communicat, corpus Christi est in ore ejus, et in ventre ejus; et realiter suscepit corpus Christi; et sic incipit esse ubi prius non erat. Unde Apostolus (*I. Corinth.* 10, v. 16): *Panem quem sumimus*, etc.; et (*I. Corinth.* 11, v. 20): *Qui manducat et bibit*, etc. Manducatio autem est motus quidam; et sic est ubi prius non erat. Et quando ablatum est de altari, jam plus non est ibi. Et ideo ad rationem suam est dicendum quod, licet corpus Christi non sit praesens nisi speciebus immediate; tamen, ipsis mediantibus, est praesens illis quibus ille sunt praesentes; et ex quo eas inseparabiliter concomitantur, sequitur eas quocunque vadant. Unde, licet corpus Christi a translatis speciebus, semper sit ubi erat, quia est in speciebus ubi prius erat; tamen, loquendo de loco communi et remoto, est ubi prius non erat, et non est ubi prius erat. Sicut qui est in nave, semper est ubi erat, si de sede sua se non moveat, quantum ad navem, quia in eadem parte navei ubi prius; sed,

respectu aquae vel ripe, ex quo navis est (2) mota, est ubi prius non erat, et non est ubi prius erat. Et similiter est in proposito, de esse sacramentali, sicut ibi de esse locali. Nam corpus Christi, secundum esse sacramental, sic in altari est, quod non in celo; immo, secundum illud esse, est realiter absens et distans a celo, et realiter praesens et propinquum altari. Ergo, secundum tale esse, convenit ei motus, secundum quod diffinit sibi locum, et si non quoad (3) circumscripti et situ, saltem quoad reale mutationem (ut non dicam propinquitatem, que sonat modum quantitatis; quia non est hic modo quantitativo). — Haec ille. — Ex quibus patet solutio ad utrumque caput quinti argumenti. Cum enim fort instantiam contra importuni argumenti Petri, patet, ex dicti, quod instantia nulla est, sicut patet ex dictis in solutione quarti. Nam, dum corpus Christi incipit esse in sacramento, ipsum incipit esse in uno loco, non deserendo alium locum; secus est dum hostia de loco ad locum transfertur. Rursus, quia corpus Christi incipit esse in sacramento, et in loco sacramenti, per conversionem panis in ipsum, et per realem mutationem vel desinitionem alterius, ideo non oportet corpus Christi ex hoc mutari; secus est dum, concomitando sacramentum, transfertur de loco ad locum, nulla facta conversione vel mutatione alicuius substantiae in ipsum. Et sic, licet in primo casu corpus Christi non possit dici proprius motus vel mutationem, tamen in secundo casu veraciter moveretur. Scindunt tamen est quod, cum dicit Petrus ipsum vere moveri vel mutari, etiam in primo casu, quia ad veram mutationem sufficit acquisitio novi termini sine deperditione prioris, sicut cum aer de tenebroso fit lucidus, etc., — dicitur quod ad veram mutationem sufficit acquisitio novi termini, sine deperditione alicuius positivi praexistentis. Sed hoc non sufficit ad veram rationem motus, ubi oportet utrumque terminum, *a quo et ad quem*, esse positivum, ut patet, 5. *Physicorum* (t. c. 9). Latio autem localis est motus proprius dictus, ut patet, 5. *Physicorum* (ibid.). Ideo nihil mutatur localiter, nisi perdat unum locum, et acquirat alium. Et ideo, cum corpus Christi incipit esse in sacramento, et in loco sacramenti, per novam conversionem, non potest dici motus aut mutationem localiter. Nec apparer quo alio motu vel mutatione tunc mutetur; cum, praeter locum et sacramentum, nullum absolutum acquirat, sed purum respectum extra genus ipsius *ubi*, qui non potest esse terminus motus proprius dicti. Ex acquisitione autem extrinseci sacramenti, vel loci sacramenti, non potest dici motus esse, sed forte mutationem esse, improprie valde, mutatione acquisitiva vel deperditiva. Et forte hoc

(x) est. — Om. Pr.

(3) quoad. — est secundum Pr.

concedendum est, ut fiat vis inter motum localem et mutationem localem, et iterum inter mutationem localem locati et mutationem localem non locati sed tantum uniti locato, que est mutatio localis per accidens, sicut et acquisitiva loci per accidens et mediante aliquo per se locato. Et ita secunda mutatio localis per accidens potest concedi inesse corpori Christi in instanti conversionis panis in ipsum; non autem motus localis.

Dicitur secundo, quod instantia data contra minori argumenti, sufficienter evanescata est ex praedictis: quia corpus Christi, licet non habeat ad locum hostiae presentiam per se et immediate, habet tamen presentiam ad illum per accidens, et mediante ratione dimensionum panis, quas inseparabiliter concomitantur, et quibus aliqua unione conjugantur.

Exemplum autem quod adducitur de angelo, non valet. Tum quia substantia angelorum alio modo est praesens corpori moto ab angelo, et alio modo corpus Christi ad species panis: quia prima praesentia est sicut motoris ad mobile, secunda vero praesentia est sicut substantiae ad quantitatem, et habens aliiquid simile illi praesentiae qua subjectum dicitur praesens suo accidenti: quia, licet corpus Christi non subjiciatur dimensionibus panis conversi, succedit tamen subjecto dimensionum, sine informatione, in consimili praesentia, et eadem vel tanta inseparabilitate. Tum quia praesentia angelorum ad corporis est voluntaria, non autem praesentia corporis Christi ad species, modo prius exposito. Tum quia falsum assumit arguens, scilicet quod angelus movens corpus non moveatur ad motum talis corporis. Unde sanctus Thomas, 1 p., q. 51, art. 3, in solutione tertii, sic dicit: « Motus qui est a motore coniuncto, est proprium opus vite. Sic autem non moventur corpora assumpta ab angelis; quia angelii non sunt formae eorum. Moventur tamen angelii per accidens, motis hujusmodi corporibus; cum sint in eis sicut motores in mobilibus; et ita sunt hic, quod non alibi; quod de Deo dici non potest. Unde, licet Deus non moveatur, motis his in quibus est, quia ubique est, angelii tamen moventur per accidens, ad motum corporum assump- ptorum; non autem ad motum corporum celestium, et si sint in eis ut motores in mobilibus; quia corpora celestia non recidunt de loco secundum totum; nec determinatur spiritui moventi orbem locus secundum aliquam determinatam partem substantie orbis, que nunc est in oriente, nunc in occidente, sed secundum determinatum situm, quia semper est in oriente virtus movens, ut dicitur, 8. *Physicorum* (t. c. 84). » — Hac ille.

Ex quibus patet exemplum adductum ad propositum nil valere.

Et hec sufficient ad objecta Durandi.

Ad argumentum contra questionem, patet responsio per praedicta.

Et hec de questione sufficient. De qua benedictus sit Deus. Amen.

QUÆSTIO IV.

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN EUCHARISTIA VISIBILITER,
HOC EST, UTRUM POSSIT IBI VIDERI OCULO CREATO

SECUNDUM, circa decimam distinctionem quarti, queritur: Utrum corpus Christi sit in Eucharistia visibiliter, hoc est, utrum possit ibi videri oculo creato.

Et arguitur quod sic. Quia corpora gloriosa erunt *configurata corpori claritatis Christi*, ut dicitur, *Philippens.* 3 (v. 21). Sed oculus Christi videt se ipsum prout est in sacramento hoc: Ergo, par ratione, quilibet alias oculus glorificatus potest ipsum videre.

In oppositum arguitur sic: Nihil enim idem, et eodem modo existens, potest simul ab eodem videri in diversis speciebus. Sed oculus glorificatus semper videt Christum prout est in sua specie, secundum illud Isaiae 33 (v. 47): *Regem in decore suo videbunt*. Ergo videtur quod non videat Christum prout est sub specie hujus sacramenti.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod nullus oculus corporalis potest videre corpus Christi prout est in hoc sacramento.

Secunda conclusio est quod quilibet oculus intellectualis beatus potest videre corpus Christi prout est in hoc sacramento.

Tertia conclusio est quod nullus oculus intellectualis, non beatus, potest videre, cursu naturali et propria virtute naturali, corpus Christi prout est in hoc sacramento.

Has tres conclusiones ponit sententialiter Beatus Thomas, 3 p., q. 76, art. 7, ubi sic dicit: « Duplex